

potest sic dari res Ecclesiæ, cit. cap. eod. in 6. Proinde non valet dicere: Qui potest totum, potest & partem; cum pars in toto contineatur, juxta Reg. 80. Juris in 6. Fallit enim hæc Regula, ubi Jus fortius resistit parti, quam toti, ob majus periculum ibi repertum, aliasve speciales rationes; uti fit in proposito.

§. IV.

De Pensionibus, harumque constitutione.

S U M M A R I U M.

- 84 Utrum non obstante Rubricâ præsentis Tituli Pensiones in collatione Beneficiorum reservari possint? Et num. seqq.
- Pensio Clericalis, quæ? Ibid.
- 85 Pensio hujusmodi potest imponi vel personæ Beneficiarii, vel Beneficio: & hoc adhuc dupliciter.
- 86 Papa potest omnibus modis pensionem imponere.
- 87 Nullus Prælatas Papâ inferior potest novum censum, vel pensionem perpetuam Beneficio imponere.
- 88 Regulariter loquendo, Episcopus nequit conferre Beneficium sub reservatione pensionis cuiuspiam persolvendæ.
- 89 Potest tamen ex causa rationabili constituere pensionem, saltem duraturam ad vitam Beneficiarii gravati, & consentienti.
- 90 Non obstante Rubricâ hujus Tituli: & cur?
- 91 An Episcopus possit Beneficio imponere pensionem transmissibilem ad Successorem seu ad vitam Pensionarii, variant Doctores. Et num. seqq.
- 92 Affirmativæ sententiæ rationes afferuntur.
- 93 94. & 95. Negativa sententia & in jure magis fundata, ejuque rationes.
- 96 & 97. Solvuntur contraria.
- 98 Illicitum est, resignare Beneficium cum pacto, seu conditione appositâ solvendæ pensionem.
- 99 Etiam seclusâ omni pacto, regulariter renunciatio Beneficiorum sub reservatione pensionis est prohibita.
- 100 Refertur quoad hoc novissimum Edictum non gravandi Ecclesiæ Parochiales Pensionibus.
- 101 Id ipsum probatur rationibus.
- 102 Ex gravi tamen causa potest Episcopus resignanti pensionem constituere &c.
- 103 & 104. Respondetur ad novissimum Edictum.
- 105 Resignans pro reservanda sibi moderata pensione, ex rationabili causa, potest antea Episcopo supplicare.
- 106 Atque cum Successore amicabiliter componere, submittendo tamen se dispositioni Episcopi. Quamvis nonnulli hoc posterius videantur improbare. Ibid.
- 84 Quæritur I. Utrum non obstante Rubricâ præsentis Tituli, Pensiones in collatione Beneficiorum reservari possint? Ubi sciendum, quod nomine Pensionis Clericalis, seu Ecclesiasticæ, de quo solummodo impræsentiarum est sermo, intelligatur jus percipiendi partem fructuum ex alieno Beneficio, auctoritate Superioris Ecclesiasticæ cuiuspiam Clerico justâ de causâ constitutum: de qua, & an sit beneficium Ecclesiasticum, ex professo dictum est supra Tit. 5. De Præbendis. §. 3. n. 85. & seqq.
- 85 Cæterum hujusmodi Pensio potest imponi vel Beneficio, vel personæ Beneficiarii gravati. Hoc posteriori modo intelligitur pensio constituta, quando ea imponitur soli personæ Clerici gravati: ita nimirum, ut Beneficiarius, quamdiu vixerit,

seu beneficium tenuerit, debeat alteri certam portionem reddituum annuatim solvere; ad alium vero, nempe ad Successorem ipsius in beneficio, talis obligatio non transeat, sed cum ejus persona extingatur: ut est casus in c. Nisi essent. 21. de Præbend. Priori modo, sive ipsi Beneficio, potest Pensio imponi adhuc dupliciter: nempe, vel in perpetuum, & sic pensio coincidit cum censu constituto in Beneficiis, & à singulis Beneficiariis successivè persolvendo: ut cap. penult. de Censibus. & c. Præterea. 23. de Jurepatronat. vel ad vitam Pensionarii; ita videlicet, ut sit transmissibilis ad Successores in Beneficio, quamdiu vixerit ille, cui pensio constituta fuit. Hoc prænotato,

Resp. I. Papa potest ex causa rationabili, ac dispensando in Jure communi, omnibus præfatis modis Pensionem Beneficiis imponere. Ita certa, & communis Canonistarum. Nam, ut c. Licet 2. de Præbend. in 6. habetur, omnium Ecclesiarum, Personatum, Dignitatum, aliorumque beneficiorum Ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Romanum noscitur Pontificem pertinere. Quod ipsum reperitur in Clem. 1. §. fin. Ut lite pendente &c. cum similibus.

Resp. II. Nullus prælatas Papâ inferior potest novum censum, vel pensionem perpetuam Beneficio imponere, neque antiquum augere. Ita Abbas c. Prohibemus. num. 2. de Censib. Fagnanus c. Nisi essent. num. 46. de Præbend. Barbosa part. 3. de Offic. & potest. Episcop. allegat. 85. num. 1. citans alios, & communem Doctorum. Idque patet ex c. Scientes. 3. & c. Prohibemus. 7. de Censib. junctâ Rubricâ præsentis Tituli, Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur, cum similibus. Verum de Pensionibus perpetuis Beneficio impositis, seu Censibus, plura inferius Tit. 39. De Censibus &c.

Resp. III. Et si regulariter loquendo Episcopus, vel alius Collator Papâ inferior, non possit conferre Beneficium sub reservatione pensionis cuiuspiam persolvendæ: nihilominus in casu speciali, atque ex justa & rationabili causa, potest etiam Episcopus pensionem imponere, seu constituere, saltem duraturam ad vitam Beneficiarii gravati, atque in eam consentientis, cum quo extingatur pensio. Conclusio hæc quoad priorem partem est certa; & patet ex Rubricâ, & textu præsentis Tituli, ubi pro regula ponitur: Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur, cum similibus.

Alteram Conclusionis partem tenet Glossa in c. 89. Audivimus. §. Pensionem de Collatione. detegend. Innocentius c. De cætero. n. 7. & Abbas ibid. num. 2. de Transactione. Navarrus Consil. 43. n. 4. de Simonia. Garcias part. 1. de Benefic. c. 5. n. 295. & 296. Gonzalez ad Reg. 8. Cancellar. gloss. 5. §. 5. num. 27. citans Rotam in una Melitensi. Canonizatus. 6. Martii 1596. coram D. Merlino, & aliis sæpius Fagnanus c. Nisi essent. num. 28. de Præbend. citans complures alios, atque asserens, hanc esse receptissimam sententiam. Conclusio hæc clarè desumitur ex c. Nisi essent. 21. de Præbend. ubi Pensio quadraginta librarum alteri luigantium, eod quod dignitati Prioratus cesserit, per Judices compromissarios fuit pro bono pacis & utilitatis ordinata, eidem per Priorem confirmatum annuatim portigenda; quam etiam Papa hoc adhibito moderamine tolerabat, ut ad præstationem quadraginta librarum non dignitas Prioratus, sed persona Prioris maneat onerata: ne forte circa provenus aliqua videatur facta sectio Prioratus: ita quod ipso Priore defuncto, successor ipsius ad præstationem quadraginta librarum minime teneatur. Accedit alius notabilis textus in c. De cætero. 5. de Transactione. ibi: Si compositio non est juri contraria, non est à loci Episcopo reprobanda: sed census absque Episcopali auctoritate solutus,

solutus, vitam ejus, qui solverit, non excedit. Ubi Abbas n. 2. unâ cum aliis observat, talem censum, seu pensionem vitam gravati non excedentem, non esse constitutum in certa quata reddituum (putâ, dimidiâ, vel tertîâ) ne videatur facta sectio Beneficii, contra c. Majoribus. 8. de Præbend. sed in certa quantitate fructuum, seu reddituum.

90 Neque obstat Rubrica, & textus præsentis Tituli: Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur, cum similibus. Siquidem per ejusmodi pensionem non gravatur Beneficium, sed persona Beneficiarii duntaxat; & sic adhuc Beneficium sine diminutione conferatur: nec fit aliqua sectio circa provenus ipsius, cum hos omnes recipiat Beneficiarius gravatus, licet postea ad dies vite suæ sive quamdiu tenuerit beneficium, debeat certum quid præbere Pensionario. Additur verò notanter ad dicta Conclusio, saltem duraturam ad vitam Beneficiarii gravati, ad differentiam sequentis Quæstionis: unde

91 Quæritur II. An Episcopus possit Beneficio imponere Pensionem transmissibilem in Successorem, seu ad vitam ipsius Pensionarii? Resp. In Resolutione hujus Quæstionis variare Doctores. Et quidem affirmativam sententiam, seu quod ex gravi causa possit Episcopus pensionem constituere, etiam ad vitam Pensionarii (id est, ejus cui pensio solvitur) ita videlicet, ut post mortem Beneficiarii gravati transeat onus pensionis præstandæ ad Successorem ipsius in Beneficio; tenet Felinus in c. Ad audientiam. il. 2. num. 2. Concl. 2. de Rescriptis. Gigas de Pension. quest. 6. num. 4. Garcias de Beneficiis. part. 1. cap. 5. num. 339. Layman. lib. 4. Theol. Moral. tract. 2. cap. 18. num. 3. citans alios; ac sequitur Pirhing h. t. numer. 10. asserens post Suarez tom. 1. de Relig. lib. 4. de Simonia, cap. 51. num. 18. quod saltem ubi videatur recepta sententia affirmativa, quidquid sit de Jure stricto. Rationem dant: Tum quia in c. De cætero. 5. de Transactione. dicitur: Sed census absque Episcopali auctoritate non solutus vitam ejus qui solverit, non excedit: ergo, argumento à sensu contrario desumpto, cum auctoritate Episcopi potest excedere; prout innuit Glossa ibid. §. Contraria. Tum quia Episcopus ante donationem, seu collationem Beneficii, potest constituere, ut ipsi provenus retineantur ad tempus pro causa justa & necessaria; uti dicitur cap. 1. §. fin. h. t. Potestque ex causa justa, v. g. ob evidentem necessitatem, vel utilitatem Ecclesiarum, dismembrare Beneficia, & dividere Ecclesias, juxta superioris dicta. Cur igitur non similiter ex speciali, gravique causa, poterit constituere pensionem ad vitam Pensionarii, sicque isto ditius vivente transmittam ad Successorem in Beneficio, sine aliâ licentia Papæ?

92 Oppositam, seu negativam sententiam, & in Jure magis fundatam, videlicet non posse Ordinarium Papâ inferiorem imponere pensiones, quæ transeat ad Successores in Beneficio: tenet Navarrus Consil. 8. num. 9. de Jurepatronat. & Consil. 43. n. 4. de Simonia. Flamin. Parisius de Consuetudinibus Beneficiorum. quest. 28. num. 120. Azorius part. 2. lib. 8. cap. 6. q. 1. Sanchez lib. 7. in Decalog. cap. 29. nu. 99. Lessius lib. 2. de just. & jur. cap. 34. num. 205. Card. de Luca de Pensionibus. Discurs. 40. num. 4. & Fagnanus c. Nisi essent. num. 40. & seqq. de Præbend. ex professo, ac fassissime hanc sententiam propugnans, & multipliciter probans, Episcopum ordinariâ suâ potestate non posse pensionem imponere transmissibilem ad Successores in beneficio. Ratio hujus sententiæ desumitur cum primis ex cit. c. Nisi essent. 21. de Præbend. ubi Papa expressè decernit, quod pensio, pro bono pacis ex jussione Judicum Delegatorum Reiffensuel Jus Can. Tom. III.

rum super Prioratu constituta, non debeat vitam ejus qui solverit excedere, neque Successorem ad ejus præstationem ullo modo obligari, ne forte circa provenus ipsius Prioratus aliqua videatur facta sectio, illis verbis: Nos sciam (ordinationem) seu constitutam pensionem quadraginta librarum) hoc adhibito moderamine toleramus, ut ad præstationem quadraginta librarum non dignitas Prioratus, sed persona Prioris maneat onerata: ne forte circa provenus aliqua videatur facta sectio Prioratus; ita quod ipso Priore defuncto, successor ipsius ad præstationem quadraginta librarum minime teneatur. Hæc ibi. Quæ verba ponderando,

Sequitur manifestè, quod etiam pro bono pacis non possit Beneficio imponi pensio realis, seu transmissibilis ad Successorem; ut ibi: Successor ipsius ad præstationem minime teneatur. Idque ex eo: Ne forte circa provenus aliqua videatur facta sectio Prioratus, seu alterius Beneficii, contra Concilium Turonense, relatum in c. Majoribus 8. de Præbend. Hæc quippe ratio urget in omni pensione transmissibili ad Successorem, utpote per quam oneratur ipsum Beneficium, hujusque onus, sive obligatio præstandi pensionem, unâ cum ipso Beneficio transferretur in Successorem, veluti servitus ipsi inherens. Quamvis possit ex justa causa constitui pensio personalis, seu obligans duntaxat personam Beneficiarii onerati, atque in ipsam consentientis, quæ proinde extingatur in morte ipsius, & ad Successorem ipsius non transeat, ut ibi: Non dignitas Prioratus, sed persona Prioris maneat onerata: estque proximè dictum Concl. præced.

Confirmatur eadem Conclusio. Tum quia Ecclesiastica Beneficia Canones præcipiunt sine ulla diminutione conferri, can. Si quis præbendas. 1. q. 3. junctio Rubro, & Nigro h. t. Simulque sectio Beneficii penitus improbatâ à Jure; ut c. Majoribus. 8. & c. Tuæ fraternitatis. 20. de Præbend. & cit. c. Nisi essent. eod. ibi: Ne forte circa provenus aliqua videatur facta sectio Prioratus: non obstante, quod hic intervenerit causa cæteroque justa, & sufficiens ad imponendam pensionem, saltem ad vitam gravati; nempe bonum pacis & utilitatis, uti loquitur textus.

Ex quo etiam rejicitur quorundam responsio, 95 asserentium, per hæc, vel aliâ hujusmodi Jura solummodo probari, quod sine licentia Papæ non possit ordinari, ac regulariter, imponi Beneficiis pensio transmissibilis ad Successorem: secus autem esse subsistente justâ & necessariâ causâ, vel ob utilitatem Ecclesiæ. Tum quia in casu cit. c. nisi essent, suberat justa causa; videlicet bonum pacis, & utilitatis, in ipsam quoque Ecclesiam sedundans: & tamen Pontifex determinavit, non posse imponi Prioratu pensionem transmissibilem ad Successorem. Tum quia novissimè de Mandato S. D. N. Innocentii Papæ XII. expressè prohibitum est, ne impofterum graventur Parochiales, etiam juris patronatus laici, pensionibus; prout patet ex Edicto, infra num. 100. referendo: atque per pensionem transmissibilem ad Successorem gravarentur Ecclesiæ Parochiales, & non sola persona primi Beneficiarii gravati. Tum tandem, quia contra tot expressa Jura, nihil conveniunt rationes oppositæ sententiæ, ac num. 91. relatæ.

Imprimis enim ex c. De cætero. 5. de Transactione. nihil probatur. Quia Argumentum à sensu contrario desumptum non procedit, quando exinde resultat correctio juris; prout fieret in proposito. Fagnanus cit. c. Nisi essent. n. 63. de Præbend. etique jam dictum supra Lib. 1. Tit. De Constitutionibus. §. 16. num. 408. Nec urget textus ex cap. un. §. fin. h. t. Nam, etsi Episcopus ante collationem Beneficii

(omnī cum Capitulo suo, ut explicat Glossa *in. ibid.*) possit constituere, ut proventus Beneficialia ad tempus retineantur pro causa iusta & necessaria, v. g. pro reparatione Ecclesiæ ruinosa: inde tamen nullatenus sequitur, quod possit Beneficiis imponere pensiones ad Succesorem transmissibiles: ista quippe sunt valde diversa, neque ex diversis fit illatio. Barboza *Axiomat.* 114.

97 Neque urget ultima ratio. Quia ex divisione, aut dismembratione Beneficiorum, non sequitur horum sectio, sive scissio: talis videlicet, per quam proventus unius Beneficii dividuntur in duos. Nam per divisionem eriguntur duo Beneficia, unā cum propriis redditibus; & per dismembrationem redditus ab uno beneficio in perpetuum separantur, atque annexuntur alteri; idque contingit non ad privatum interesse alicujus Clerici (puta, Pensionarii) sed ob publicam utilitatem, augendumque cultum Divinum, & animarum salutem melius procurandam: factis fit in pensione ad Succesorem transmissibili. Unde patet imbecillitas contrariorum: alioquin certe, si quid probarent, manifeste sequeretur, quod Episcopus ex causa rationabili posset novam & perpetuam pensionem Beneficio imponere, sicut potest ex iusta causa in perpetuum dismembrare Beneficia, atque ob multitudinem, seu distantiam Parochianorum, dividere in perpetuum Ecclesias Parochiales: quod est contra dicta *num.* 87. & communem Doctorum.

98 Quæritur III. Utrum sit licitum, resignare beneficium Ecclesiasticum, reservatā annuā pensione? Resp. I. Illicitum est, atque simoniacum, resignare (aut conferre) Beneficium cum pacto, seu conditione appositā solvendi pensionem. Ita D. Thomas 2. 2. *quest.* 100. *aut.* 4. *in. fin.* loquens in casu, quo Episcopus conferens alteri Beneficium, requirit aliquid sibi exhiberi de fructibus illius Beneficii: quia (inquit) idem est, ac si aliquid munus ab eo exigeret; & non caret vicio simoniæ. Id i. tum tenet Abbas *cap. un.* *num.* 14. *Ut Ecclesiastica beneficia &c.* Garcias *part.* 1. *de Benefic. cap. 5. numer.* 340. & *seqq.* Pirhing, *h. t.* *num.* 11. & Fagnanus *c. Nisi essent. num.* 18. & 19. *de Præbend.* istud intelligens tam de Episcopo in collatione Beneficii pacifcente, ut sibi solvatur pensio; quam de alio, puta de Resignante, simile pactum inane cum Resignatario: atque asserens, casum hunc non esse dubium. Ratio est: quia omne pactum, omnique conventio, quæ jure non inest, adjecta collationi Beneficii, efficit eam simoniacam: ut *can. Quampio. t. g. 2. & cap. ult. de Pactis. & c. Quæstium. 5. de Rerum permutat. cum similibus.* Unde etiam in *c. Nisi essent. 21. de Præbend.* pensionem quadraginta librarum, ad dies gravati Prioris alteri pro bene pacis constitutam, non aliter Papato-leravit, nisi quia non ex pactione partium, sed ex iustione iudicium debebat exhiberi.

99 Resp. II. Etiam seclusā omni pactione, seu conditione appositā, regulariter loquendo renunciatio Beneficiorum sub reservatione pensionis sibi annuatim præstandæ, coram Episcopo, vel alio Collatore Papæ inferiore, fieri non potest; neque ab hoc approbati, vel admitti. Ita Barboza *lib. 3. Jur. Eccl. univ. cap. 15. num.* 179. Engel *h. t. num.* 10. & alii. Concordat novissimum Edictum, iussu S. D. N. Innocentii Papæ XII. emanatum, tenoris sequentis.

EDICTUM

Non gravandi Ecclesias Parochiales Pensionibus.

Bandinus Tit. S. Pangratii Presbyter 100
Cardinalis, Sanctissimi Domini No-
stri Vice-Datarius.

Cum velit Sanctissimus Dominus Noster ex paterna sua charitate, & Zelo, excitare Parochos ad majorem vigilantiam, pro animabus ipsorum cure commissis, atque faciliorem ipsis sternere viam subveniendi earundem necessitatibus pro copiosiores elemosinas: Idecirco accepto orationis ad Sanctitatem Sua expresso mandato, præcipimus, & statuimus, ne in posterum graventur Parochiales, etiam Jurisdictionis laici, Pensionibus; atque hoc etiam observetur ad ipsos Locorum Ordinarios, in Provisionibus ad ipsos spectantibus. Præterea, ne admittantur resignationes, aut permutationes Parochialium cum reservatione Pensionum; ad cuiuscunque favorem, & sub quocunque titulo, etiam præstationis alimentorum; multaque minus reserventur Pensiones super easdem Parochiales, sine causa, beneficio pleno, cum consensu Possessorum, sub quocunque causa & titulo. Ex Dataria hæc die 11. Novembris, 1692.

Bandinus Cardinalis,
Vice-Datarius.

A Ccedit ratio. Tum quia Beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferantur. Atque Episcopus nequit dispensare in Jure communi, & contra Sacros Canones, saltem regulariter loquendo, ac extra casum necessitatis; ut dictum supra *Lib. 1. Tit. 2. De Constitutionibus. §. 18. n. 465. & seqq.* Tum quia talis resignatio, in effectu est permutatio Beneficii Ecclesiastici pro parte fructuum annuam præstandorum; & consequenter cum fructus ut à Beneficio separati, sint quid temporale, fieret permutatio rei spiritualis pro temporali, quæ foret manifesta simonia. Tum tandem, quia quod Beneficia simpliciter, & pure nulloque pacto interveniente sint resignanda, liquet ex *c. Ex parte. 12. de Offic. Delegat. & c. Super eo. 7. de Transaction. & cap. ult. de Pactis & c. Quæstium. 5. de Rerum permutat.*

Additur notanter in data Conclusionis, regulariter loquendo. Nam, quod ex iusta gravique causa (puta, quia Resignans est ætate decrepatus, vel infirmus; aut quia pro bono pacis fit resignatio Beneficii litigiosi, & hujusmodi) possit Episcopus resignanti pensionem constituitur, persolvendam ipsi ad vitam Clerici gravati, seu consentientis in eam; satis probatur ex *c. Nisi essent. 21. de Præbend.* & tradit Barboza *ibid. num.* 8. & Fagnanus *numer.* 28. asserens, hanc esse receptissimam sententiam. Abbas *c. Ad audientiam. 31. num.* 6. & Felius *ibid. num.* 2. *de Rescript.* Navarrus *Consil. 4. num.* 1. & 2. *de Simonia.* Piatecius in *praxi Episcopali, part. 2. cap. 5. num.* 64. Card. Tulchus *Lit. P. Concl.* 269. Nicol. Garcias *part. 1. de Beneficiis, cap. 5. numer.* 295. & *seqq.* citans quamplures alios, & solvens contraria; atque concordant dicta superioris *num.* 89.

Neque his contrariari videtur novissimum Edictum *numer.* 100. relatum. Nam prima, sicut & postrema pars, loquitur de Pensionibus ipsi Beneficio imponendis, seu quibus gravantur Ecclesiæ Paro-

Parochiales: five dein id fiat, dum vacant, ac de novo conferenda sunt; five, dum plene sunt, atque accedit consensus possessorum: de hujusmodi enim Pensionibus data Conclusio non loquitur, quinimo hæc paulo superius, videlicet *n. 92. 93. & seqq.* ex professo rejectæ fuerunt. Ad alteram verò partem, prohibentem, ne admittantur resignationes, aut permutationes Parochialium cum reservatione Pensionum ad cuiuscunque favorem, & sub quocunque titulo, etiam præstationis alimentorum, Responderi potest eo modo, quo in simili ad Constitutionem B. Pii V. quæ incipit, *Intolerabilis*, contra Confidentialis 1569. Kal. Junii emanatam, respondet Barboza *part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat.* 85. *n. 11.* citans Nicol. Garciam *part. 1. de Benefic. cap. 5. num.* 313. & Filliucium *tract. 42. de Pensionibus, cap. 3. num.* 5. videlicet, quod ejusmodi verbis non fit Episcopus abrogata aliqua facultas, quæ prius licite uti poterat: sed solum prohibetur, vel puniatur impositio pensionis ab Episcopo facta sine causa, videlicet rationabili & iusta.

Atque hunc intellectum important ipsamet verba allegati Edicti; ut ibi: *Ad cuiuscunque favorem:* Quia favorem duntaxat nemo rationabiliter agnoscet pro iusta causa imponendi pensionem, etiam ad vitam solius gravati duraturam. Item ibi: *sub quocunque titulo, etiam præstationis alimentorum:* nam per ly, *quocunque titulo*, non excludi iustam causam, sed duntaxat quemcunque titulum futilem, fictum & coloratum, probat casu illa, etiam præstationis alimentorum. Siquidem dictio *Etiam* est implicativa; atque exprimit casum magis dubitabilem, simul tamen implicando, seu involvendo casum minus dubitabilem. Barboza *tract. de Dictionibus. Dist. 112. num.* 1. citans plurimos alios. Unde consequens est, quod præcedens clausula, *sub quocunque titulo*, denotet casus minus dubitabiles, minisque ponderosos, ac est præstatio alimentorum: tales autem non possunt esse, nisi tituli futiles, ficti aut colorati; cum & præstatio alimentorum secundum se præcisè spectata, & seclusā quocunque circumstantia graviori, non sit majoris ponderis. Patet enim, quod quilibet homo indiget alimentis quotidianis; ergo, si semel concederetur, hunc titulum se solo, ac seclusā v. g. paupertate Resignantis, vel aliâ ponderosiori circumstantiâ, sufficere pro constituenda Pensione, quilibet Clericus resignans, etiam opulentissimus, posset sibi in Beneficio resignato reservare pensionem, autoritate Superioris constituendam: quod utique foret absurdum; præberetque portam latissimam pensionibus, ac diminutioni reddituum Beneficialium, merito autoritate Apostolicâ denuo præclusam. Quamquam si Clericus resignans reverâ sit pauper, non idecirco videatur prohibuit, moderatam pensionem eidem constituere, ne vel ob defectum alimentorum mori, vel in opprobrium status Clericalis mendicare cogatur.

105 Quin imò, quod existente rationabili causâ pro reservanda sibi moderata pensione possit Resignans, ut securior sit, Episcopo ante suam resignationem supplicare; desumitur ex *c. Tua nos. 34. de Simonia*, ibi: *Rogans humiliter:* ac notat Engel *h. t. numer.* 10.

106 Insuper possunt partes prius inter se tractare, atque Resignans super aliqua pensione sibi danda cum Succesore amicabiliter componere: non quidem absolute, & quasi per se ipsos illam concludendo (hoc enim non careret labe simoniæ, saltem Ecclesiasticæ, *c. Quæstium de Rerum permutat. junctis dictis num.* 98.) sed sub conditione, relata in consensum Superioris, seu Episcopi, in cuius Reiffensuel *Jus Can. Tom. III.*

manibus Beneficium resignatur, ac sese submittendo dispositioni ejus. Glossa in *Clem. un. 9. Volentibus. de Rerum permutat. Abbas in cit. c. Quæstium. num.* 10. *ead.* hanc opinionem appellans veriore. Navarrus *Consil. 18. num.* 1. *de Simonia.* Layman *lib. 4. Theol. Moral. tract. 10. cap. ult. §. 5. num.* 50. Suarez, Sylvestr. & plures alii; & concordant dicta superioris *Lib. 1. Tit. 9. de Renunciacione. §. 4. num.* 102. & 103. Quidquid nonnulli & signanter Garcias *cit. part. 1. cap. 5. num.* 240. & 243. & Fagnanus *c. Nisi essent num.* 5. *de Præbend.* contradicere videantur; asserendo, quod compositiones pro Beneficiis, & Beneficialibus, ad hoc, ut valeant, & à simonia excusentur, debeant capere principium ab autoritate Superioris, & non à pactione sui conventionis partium: quamquam etiam hi Authores de pactione, seu conventionione absoluta partium, & non de compositione amicabili juxta consensum superioris, intelligi possint.

TITULUS XIII.

De rebus Ecclesiæ alienandis, vel non.

1 Ratio continuationis Rubricarum. Postquam in præcedentibus visum est de rebus, iuribusque Clericorum spiritualibus, nimirum de Præbendis & Dignitatibus, nec non de potestate disponendi circa ipsas; merito in hoc, ac sequentibus Titulis, tractatur de rebus eorundem temporalibus. Et quia quandoque res Ecclesiasticas expedit alienare, non raro autem id foret præjudiciale, atque damnosum Ecclesiis; hinc Rubrica præsentis Tituli duplex continet membrum. Pro cuius meliori intelligentia, sit

§. I.

De nomine Alienationis, rebusque Ecclesiæ alienari prohibitis.

SUMMARIUM.

- 1 Quid nomine Alienationis intelligatur?
- 2 Sumitur in proposito large.
- 3 Regula est, quod res immobiles, aut mobile spirituales Ecclesiarum &c. alienari non possint, nisi &c.
- 4 Hæc prohibitio est antiquissima, & jam à tempore Apostolorum. Et *num.* 65.
- 5 Textus Extravaganantis, Ambrosiæ, refertur.
- 6 Mobilia, & Immobilia, quæ?
- 7 Jura, & actiones, seu nomina debitorum, vi nominis nec sunt mobilia, nec immobilia; sed constituunt tertiam speciem.
- 8 In proposito tamen nomine Immobiliū comprehenduntur jura, & actiones ad immobilia; seu, ad mobilia.
- 9 Nomine Immobiliū veniunt etiam servitutes prædictorum, jura piscandi, venandi &c.
- 10 Ac census, seu annui redditus.
- 11 Mobilia pretiosa, quæ?
- 12 Reliquæ Sanctorum numerantur inter Mobilia pretiosa.
- 13 Quid dicendum de poculis argenteis, calicibus &c. minus utilibus?
- 14 Pecunia regulariter potest absque solemnitate alienari: nisi sit deputata pro emendis immobilibus &c.